

efficaciâ facultatum mentis ex jam notis concludimus? ut necessariò vel juvenilem saltem ætatem consecuti multarum rerum debeamus esse conscii; ad quod accedit, quod naturâ nobis sciendi cupiditas sit implantata, quâ mens nostra curiosa in res ignotas semper fertur, ut nunquam scientiâ expleri possit.

§. II.

Quis verò negabit hisce rebus menti nostræ notis & obviis multa intermixta esse falsa, nobis planè insciis, adeò ut sæpius falsitates pro veritatibus habeamus atque venditemus. Ponamus nobis ob oculos rusticum ignarum, hic sanè statuit solem esse bipedalem, vel suò pileò non majorem; negat dari Antipodes; negat terram esse rotundam; sed credit eam planam; stellas fixas pro minimis habet lucernis; imò cœlum tandem in terrâ quiescere defendit, & quis omnes talismodi errores recensere audeat. Attamen & in hóc rusticò etiam multas deprehendemus veritates; scit enim iste, Deum esse colendum; parentes esse honorandos; injustè furem alteri aliquid detrahere; certus est, agrum non ferre fructus, nisi diligenter colatur, & quæ sunt plura hisce similia.

§. III.

Quantum verò toti humano generi commodum accrescat, si verum à falsò, per aliquod Criterium dignoscere sciat, vix quispiam eloqui poterit. Consideremus tantum, quantæ aurifabris sit utilitati, lapidem habere lydium, eoque metalla sibi, invicem, simillima, diversissima proponere. Si nullum adesset veritatis Criterium, verum à falsò dignosci nequit, nosque de nullâ re certi esse poterimus.

§. IV.

Exstiterunt Philosophi, qui de hoc veritatis Criteriò planè desperarunt, hinc etiam docuerunt, nullam esse veritatem. Refert Diogenes Laertius de Vit. Phil. L. IX. Segm. 28. p. m. 579. de Anaxarcho, quod publicè professus sit: Se ne id quidem scire, quod nihil sciret. Pariter Cicero Academ. Quæst. L. II. p. m. 1038. Chium Metrodorum loquentem introducit: Nego, inquit, scire nos, sciamusne aliquid, an nihil sciamus: Ne id ipsum quidem nescire, aut scire, scire nos: Nec omnino sitne aliquid, an nihil sit. Idem dogma ab eodem Laertio Pyrrhoni attribuitur L. IX. in Vit. Pyrrh. Segm. 61. p. m. 580. His annumerare possumus Academicos, præcipuè Arcesilaum, qui Socratico dicto:

In il. ii  
multa  
falsa  
veritas

Maximè  
ec aliq  
veritas  
criteri

Quidam  
sophi  
despe